



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **GOSPICEN-SENIEN*** IN CROATIA NOVA
CONDITUR DIOECESIS GOSPICENSIS-SENIENSIS,

QUAE SUFFRAGANEA ERIT METROPOLITANAE SEDI FLUMINENSI,

ANTEA FLUMINENSI-SENIENSI NUNCUPATAE Ad Christifidelium spirituali bono aptius consulendum, Venerabilis Frater Antonius Tamarut, Archiepiscopus Metropolita Fluminensis-Seniensis, amplum ob numerum incolarum in circumscriptione ecclesiastica sua commorantium ab hac Apostolica Sede petivit ut quodam distracto territorio ab eadem circumscriptione nova conderetur dioecesis. Nos, favente quoque eidem rei Venerabili Fratre Iulio Einaudi, Archiepiscopo titulo Villamagnensi in Tripolitana et in Croatia Apostolico Nuntio, de consilio Secretariae Status ad motae postulationi libenter concedendum esse putavimus. Summa igitur Nostra potestate ab archidioecesi Fluminensi-Seniensi, posthac *Fluminensi* appellanda, separamus decanatus: Gospić, Ogulin (sine paroeciis: Lukovdol, Plemenitas, Vrbovsko), Otočac, Senj (sine paroecia Krmpote) et Slunj atque ex ita seiunctis locis novam constituimus dioecesim *Gospicensem-Seniensem*, cuius sedem ponimus in urbe Gospić dum ibique exstans templum, Deo in honorem Annuntiationis Beatae Mariae Virginis ad gradum et dignitatem cathedralis ecclesiae evehimus. Praeterea dioecesim Gospicensem-Seniensem suffraganeam facimus metropolitanae Sedi Fluminensi eiusque Episcopum metropolitico iuri Archiepiscopi Fluminensis subicimus. Cetera omnia vero secundum canonicas leges temperentur. Quae statuimus, perficienda committimus Venerabili Fratri Iulio Einaudi, quem diximus, eidem tribuentes necessarias et opportunas facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad Congregationem pro Episcopis authenticum exemplar actus peractae executionis remittendi. Hanc denique Constitutionem Nostram nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die vicesimo quinto mensis Maii, anno Magni Iubilaei bis millesimo, Pontificatus Nostri vicesimo secundo.*

ANGELUS card. SODANO

Secretarius Status

LUCAS card. MOREIRA NEVES

Congr. pro Episcopis Praef.

Leonardus Erriquenz, *Protonot. Apost.*

Antonius Macculi, *Protonot. Apost.*

s.n.

*A.A.S., vol. XCII (2000), n. 8, pp. 619-620 © Copyright 2000 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana